B. N. C.
FIRENZE
1051
1



1051.1

1051 1

RESPUBLICA ARGENTORATENSIS.

1051. 1

FORMA REIPUBLICÆ ARGENTORATENSIS

delineata olim

à

MATTHIA BERNEGGERO,

nunc autem paulò fusius

exposita per

IO. CASPARUM BERNEGGERUM,

Matthiæ Filium.

Apud SIMONEM PAULLI Bibliopolam
M. DC. LXVII.

1051 1

QUi Rempublicam administrant, suos ordines ciuiles habent: ex quibus primum honoris & dignitatis locum sine dubio TREDECIMVIRORUM tenet, constans *quatuor* ex Equestri ordine *Prætoribus: quatuor Consularibus: totidemque Ciuibus* aliis prudentia præstantibus & in Reipublicæ negotiis iam ante versatis, quibus omnibus Vnus ex Prætoribus per trimestre & anni cuiusque Consul præsident, hic vt negotia proponat, ille vt vota exquirat. Huic Collegio *Belli & rerum militarium, Vrbis munitionis, Armamentarii, Equilis* & *Stipendiariorum militum delectus*, vt & *Secretiorum ab Imperatore, Regibus, Electoribus, Principibus & aliis Statibus Imperii profectorum negotiorum & Legationum cura potissimum commissa est.* Iidem TREDECIMVIRI ex speciali Priuilegio Cæsareo in amplissimo Tribunali sedent, & causas, quæ per prouocationem ad eos deferuntur, iudicant, ad quos nec ultra conceditur appellatio, iis qui causa cecidere in Senatibus Maiori & Minori, atque Iudicio Oppidano; Quod si

Die Herren Dreyzehen.

Die Delegirte Kayserliche Cammer-Richter.

tamen summa de qua disceptatur, Aureos Rhenanos sexcentos excesserit: tum ab eiusmodi sententiis latis ad Imperialis etiam Cameræ Tribunal, vel ad Aulam Cæsaream prouocare possunt, qui Iurisdictionem Tredecimvirorum prorogare nolunt.

Die Herren Fünffzehen.

Secundus Ordo, qui QVINDECIMVIRORVM est, constat *quinque Nobilibus*, quos inter vnus vel duo Prætores sunt, ac *decem* aliis *honestioribus Civibus* absque discrimine, modo prudentia sint & integritate vitæ commendati. *Hi ephoriam in omnes Reipublicæ ad œconomiam spectantes partes, quin etiam cognitionem & iudicium certorum delictorum habent*: sunt Legum Statutorumque vindices ac custodes: proindeque illis incumbit curare, ut omnes, qui publicis muneribus funguntur, officium recte faciant: si Prætorum, Consulum, Senatorum, Inferiorumque Iudicum aliquis: si ex ordine Magistratus constituti *Præfecti* tam Ditionum Reipublicæ subiectarum quam Sacrorum Redituum aut Fabricæ, Templorum, Monasteriorum, Hospitalis, Xenodochii, Orphanorum, Leprosorum, Pauperum peregrinorum & similium: Si *Triumuir Ærarii* aut *Stabuli*: si *Quæstor* seu *Receptor pecuniæ publicæ*: si *Præfectus Mercenariorum* publicorum, Domusue Mercaturæ: si *Collectores publicorum Vectigalium* aut quiuis cæterorum denique Ciuium aliquid com-

Die Land- und Stifftspfleger.

Die Dreyer deß Pfenningthurns und deß Stalls. Der Rentmeister. Die Lohner. Kauffhausverwalter. Ungelter und Zoller.

committat aduerſus certas & huic ordini in ſpecie demandatas Conſtitutiones ac Leges, tunc iis licet delinquentem ſiſtere, increpare, pecuniaria & carceris quoque pœna afficere, in cauſis ſolum ciuilibus; nam Criminales aliorum ſunt cognitionis.

Deinde commiſſa *Iisdem* cura inſpectio & adminiſtratio *Ærarii*, *Monetæ*, *Granarii* & *Molarum*, *Cellæ vinariæ*, *Lignilis*, *Vectigalium*, *Puteorum*, *Aromatum*, *Domus Mercaturæ*, *Domus Carbonariæ*, *Stabuli*, quod ad Cenſum ſingulorum Ciuium attinet, ibi quotannis perſoluendum, qui & ex eo das Stallgeld appellatur, Item *Monopoliorum ſalis*, *Seui ſimiliumque rerum* ad rationem œconomicam neceſſariarum. Ex hoc ordine conſtituuntur *quatuor Æediles*, quorum duo ſunt Nobiles, duo non-Nobiles: ut & *Inſpectores Pharmacopœorum*, *Typographorum*, *Paſtorum*; itemque *Præfecti incendiis* & modo dictis rebus cæteris: Obere Bawherren/ Obere Müntzherren/ Obere Korn- und Müllerherren/ Obere Weinherren/ Obere Holtzherren / Vngeldherren / Obere Brunnenherren / Würtzherren / Obere Kauffhaußherren / Kohlenherren / Stall-zuſatzherren / Saltzherren / Vnſchlitherren / Obere Apotheckerherren / Obere Truckerherren / Obere Hürtenherren/ Obere Fewrherren/ Obere Pfundzollherren/ Obere Fleiſch-accisherren. Itaque late patet eorum Iurisdictio. Singulis annis *Duo* ex Ipſis eligun- Die Fünfzehenmeiſter.

eliguntur, quorum quilibet per semestre *præsidet*, qui cæteros quotiescunque opus est, conuocat & in Collegio, qua de re agendum sit, proponit, sententiasque rogat. Hoc Collegio, quo ad non-Nobiles, exclusi sunt *peregrini & extra* diœcesin Argentoratensem geniti; nec in illud eligere licet duos ex vna Tribu, nec qui trigesimum tertium ætatis annum nondum attigerit.

Die Herren Ein und Zwantziger. Tertius ordo VIGINTIVNVMVIRORVM, secus quam numerus est, interdum *quatuor*, mox *quinque*, raro *sex* viris constat: ex quibus *vnus* est *Nobilis*, *vnus alterue Consularis*: *duo* vel *tres* alii *cives honestiores*. Quod primò numerus fuit, iam nomen & honor est. Satis ex veterum monumentis liquet, cum primùm hoc Collegium vocatum fuit in Senatum ad dicendam sententiam deliberatiuam, nempe diu ante erectionem Collegiorum *Tredecim-* & *Quindecimvirorum*, constitisse ex XXI. Viris, hinc mansit illa appellatio.

Die drey geheimen Stuben. Iidem illi adhibentur ad *secretiora* XIII. & XV. Virorum *Consilia* cum voto decisiuo de iis negotiis quæ ad Senatum non referuntur. Die drey geheimen Stuben. Horum trium superiorum ordinum plerique, *Tribuum Præsides* & capita sunt. (Oberherren)

Prædicti tres Ordines sunt perpetui, eoque vulgo

vulgo *Stabile Regimen*, das beständig Regiment/ appellantur. Nec enim quotannis mutantur ac Senatores alii: Quod si quis eorum vel diem obeat, vel Magistratu sese per valetudinem abdicet, vel committat aliquid, ob quod consortio Senatus tam venerabilis ac sancti censeatur indignus, surrogatur in locum decedentis *Tredecimuiri*, *Quindecimuir*, vel *Vigintiunumuir* aliquis: In locum *Quindecimuiri*, *Vigintiunumuir*, aut *Senator*, aut etiam *Scabinus* tantum prudentior: in locum denique *Vigintiunumuiri*, *Senator* vel *Exsenator*.

Der Grosse Rath.

NOTA. Nobiles olim habebant *quatuor tribus* seu *curias* quas successu temporis in *unam* tantum contrahere ipsis placuit.

Sequitur MAIOR SENATUS, qui constat *triginta Ciuibus*, nempe *decem Nobilibus*, qui *Constoffolarii*, ab antiquo vocabulo Germanico Stoffel/ (ita in veterum monumentis nominabantur Curiæ, vbi conveniebant) sunt dicti: Inter quos quatuor sunt Prætores: & *viginti* aliis *non-Nobilibus*. Huic Senatui præsident *Prætor*, cuius imperium trimestre est, & *Consul*, qui singulis annis nouus eligitur, suffragiis non-Nobilium Senatorum. *Prætoris* munus est rogare sententias: *Consulis* proponere discutienda. *Prætor* Sigillum Reipublicæ Maius custodit; *Ipsius* & *Senatus* nomine omnia Decreta & Epistolæ signantur & expediuntur; *Consul* Senatum conuocat & regit & primus dicit suffragium. Idem ter per septimanam horis pomeridianis *contentiones & rixas leuiores in-*

Der Ammeister.

Dessen Wahl.

Stettmeister.

Ammeister Audienz.

res inter Cives audit & componit, lites difficiliores in fora maiora remittit, nisi utraque litigantium parte consentiente Iurisdictio eius prorogata fuerit; atque aures accommodat iis qui aliquid de Republica ad ipsum deferre cupiunt; negotia delata, in quibus momentum inesse putat, tabellis inscribit, deque iis prolixius ad Senatum refert.

Consules habentur *sex*, quorum singuli eo ordine, quo electi fuere, anno integro, suo munere funguntur, immunes deinde per annos quinque, donec vnumquemque ordo ad munus Consulare, si supersit, revocet. Si quis vero Consul interea, vel ante inceptum septimum sui regiminis mensem, diem supremum obierit, surrogatur in eius locum alius, siue ex *Tredecimuirorum*, siue ex *Quindecimuirorum* ordine & quidem à Senatoribus, ut dixi, *non-Nobilibus*, qui non ita tamen ad hunc successionis ordinem sunt adstricti, quin interdum ab eo discedere & grauissimas ob caussas, aliquem ex illis Consulibus præterire queant.

Der Rahtsherren Wahl.

De SENATORVM autem electione priusquam dicatur, monendum est, *hic* esse *Tribus viginti Civium non-Nobilium*, quarum unaquæque delectum ex superioribus ordinibus Præsidem vel Curatorem perpetuum habet, cui adiunguntur *Scabini quatuordecim*. hi stato anni tempore, nempe *prima die Iouis ineuntis mensis Ianuarii* conueniunt

niunt in Tribu, ibique suffragio designant *Senatorem*, qui infra ætatis annum xxv. non sit, aliàs vitæ integræ & qui *Senatum* quem *Maiorem* vocari diximus per *biennium* frequentet: ita tamen ut quarum tribuum *Senatores decem* hoc anno magistratu abeunt, noui *totidem* ex earundem Scabinis delecti sufficiantur. Reliquarum tribuum *decem Senatores*, qui hoc anno in functione, donec biennium completur, perseuerarunt, anno subsequente consimiliter magistratu abeunt, & nouos è suis tribubus relinquunt successores. Sic namque fit, ut quotannis deni Senatores Tribunitii, aut sua functione liberentur, suffectis totidem aliis: aut in sequentem porro annum in suo munere, ut biennium compleatur, permaneant. Hæc de non-Nobilibus Senatoribus. *Decem* vero *reliqui Senatores Nobiles* (vulgò *Constoffolarii* die Constoffler) è sua separata Tribu vel Curia, zum Hohen-steg / & ipsi quotannis ex dimidia parte mutantur, ita ut *quinque maneant* in Senatu, & *quinque noui fiant*: inter quos *duo noui*, & *duo antiqui*, *Prætores* sunt. Constoffolarii autem Senatu Maj. decedentes, qui sunt de Stabili Regimine Consilio XXI. *Virorum* cæteri Senatu Minori accrescunt. Cæterum *Prætores* totidem quot Consules *sunt*, in eo differunt quod ipsorum administratio muneris, non vt Consulis, annua sit, sed in orbem eat, per qua-

 tuor

tuor anni partes, donec dignitas ad omnes quatuor Prætores intra vertentem annum peruenerit.

Senatus hic *Maior* olim annuum tantummodo Imperium habebat. cum Senatores annuum munus expleſſent, iidem Scabini, ut leges habebant, totidem alios, ex eodem Ciuium ordine, ſuffecerant, idque repetitum deinceps quotannis.

Venerandus hic *Senatus* habet ſummam authoritatem in tota Ciuitate, & cognitionem ac iudicium grauiſſimorum criminum, quæ capitis pœnam merentur, ideoque merum imperium.

Convenit ordinariè quater tantummodo qualibet ſeptimana, diebus legitimis, extra ordinem re poſcente etiam aliis. Hic tractantur, primò res voluntariæ Iurisdictionis, ut *Receptio Dimiſſioue ciuium: Ordinatio tutorum & curatorum: Confirmatio contractuum cum pupillis & minorennibus*, Interveniente authotitate tutorum, ubi opus eſt cauſæ cognitione, & decretum eſt interponendum: item *Liberatio eorundem tutorum & curatorum: Confirmatio adoptionum: Teſtificatio legitimorum natalium: Iniuriæ reales atrociores: Iniuriæ quoque verbales*, iis illatæ, quos aut Nobilitas, aut officii, quod in Republica gerunt, dignitas, aut literarii gradus eximunt à cognitione *Septemuiralis* de

lis de quo postea dicetur *Iudicii*, nisi se ei spontè subiicere velint. Hîc denique *quæcunque forensia* siue *Iudicialia*, quando summa Controversa *mille bis centum florenis* est major, discutiuntur, juxta usitatum & Cameræ Imper. Conformem processum, assidentibus in Consilio *Aduocatis Reipublicæ*, viris eruditione excellentibus & eloquentia promptis, quos *Assessores* seu *Consiliarios* rectius dixeris, & *Actuario*.

Diebus Lunæ & Sabbathi, interdum etiam die Mercurii *Senatus* hic *Maior*, adiunctis sibi *Tredecimuiris*, XV-*Viris* & XXI-*Viris* tractat negotia ad Rempublicam in commune pertinentia: audiuntur *Rationes Ærarii publici*, *Epistolæ* variæ de variis rebus *ad Senatum scriptæ*, *Ciuium* & *extraneorum Libelli supplices*, *querelæ*, *petitiones pro eleemosynis*, *pro dispensatione in matrimonialibus* & cuiuscunque generis alia proposita, quæ ad forum Iudiciale aut non pertinent, aut nondum peruenêre, quæ omnia examinantur & decreto interposito, vel terminantur, si momenti sunt minoris, vel si pondus habent maius iudicio & *deliberationi Deputatorum* (der verordneten Herren) subiiciuntur, vel etiam ad *Senatum Majorem*, vel ad *Collegium Quindecimuirale* vel ad alia *Collegia*, pro cuiusque negotii natura, remittuntur. Herren Räth und XXI.

Ex omnibus his Ordinibus & Senatibus, qui

coniunctim Räth und XXI. vulgò appellantur, quidam designantur Viri graves & prudentes, qui quasi compendium totius Magistratus conficiunt, & *COLLEGIA* atque *IVDICIA* sequentia constituunt, quorum PRIMVM est, modo dictum *Collegium Deputatorum* (der verordneten Herren) quibus assident *Advocati*, *Consiliarii*, & *Syndicus Reipublicæ*, qui negotia, quibus momentum aliquod inest, expendunt & deliberant, deque iis ad Concilium omnium *quatuor Collegiorum* (Herren Räth und XXI.) referunt, & id quod ibi maiore suffragiorum numero probatum aut improbatum est, tanquam ex Decreto, per Secretarium Tabulis publicis inscribitur.

SECVNDVM, *Collegium* Præfectorum *Excubiarum* (der Obern Wachtherren) qui vigiliarum & rerum militarium:

TERTIVM, (der Fortifications-herren) qui munitionis & circumuallationis vrbis:

QVARTVM, (der Almendherren) qui bonorum & prædiorum vniuersitatis:

QVINTVM, (der Cancelleyherren) qui Tabularii publici curam & inspectionem habent:

SEXTVM est, *Conseruatorum Priuilegiorum.*

Sequuntur IVDICIA varia, & quidem *PRIMO* loco:

Iudi-

Iudicium Censorium vulgò (das Policeygericht) quod censuram morum & vitæ in omnes Cives exercet, ac luxus, ignauiæ, petulantiæ, monopolii, fraudis, impietatis nequitiæque compertos pœna afficit.

SECVNDO, Iudicium Matrimoniale (das Ehgericht) quod de causis matrimonialibus cognoscit, constans vno Prætore, vno Consulari, vno Tredecimuiro, duobus Quindecimuiris & duobus Senatoribus vel Maioris Senatus Assessoribus.

TERTIO, Iudicium Clientelare (das Schirmgericht) cui cura & census eorum demandata est, qui ciues esse nolunt aut non possunt & tantummodò in clientelam & protectionem huius Reipublicæ recipiuntur,

QVARTO, Iudicium Tutelare (das Vogteygericht) ubi tutores reddendarum rationum nomine conueniuntur. Sedent in eo Iudices Tres ex ordine Senatorio.

QVINTO, Opificum Præpositi (die Obere Handwercksherren) qui res quæ ad opificia spectant curæ habent.

Hic notandum venit, quod de iis rebus & negotiis, in quibus vel in quarum administratione salus aut periculum totius populi vertitur, ex præconsultatione & decreto Senatus Maioris & trium præfatorum Collegiorum ad *Consilium magnum* Der grosse Schöffen Rath.

gnum

gnum Scabinorum CCC. Virorum (den grossen Schöffen-Rath) refertur, quorum ſcita legis inſtar perpetuam vim habent.

Hi *Scabini* præter electionem *Senatorum Maioris Senatus*, quoq; ius habent, ſuffragiis eligendi in Collegium ſuum *alios Scabinos*, loco demortuorum, & quotannis deſignandi ex qualibet tribu, quæ *Senatorem* non habet in *Minori Senatu*, vnum Scabinum. Ex his *Scabinis* (vulgò Zumänner dicti) quotannis in Collegium *Triumuirorum Ærarii*, quod *tribus Scabinis* conſtat, vnus: in Collegium *Triumuirorum ſtabuli*, qui cenſum populi colligunt & non ſoluentes mulctant, alter: Cæteri in *Senatum Minorem* & *Dicaſteria* inferiora, in locum eorum, qui eo anno Magiſtratu abeunt, per *Senatum Maiorem*, eliguntur.

[Zumänner. Dreyer deß Pfenningthurns. und Stalls.]

MINOR SENATVS Iudicialis *ſex Nobilibus* & *duodecim non-Nobilibus* Aſſeſſoribus ex *tribuum Scabinis* delectis, in quorum numero & is eſt, qui præcedenti anno Conſulatu functus eſt, conſtat. Tractantur in hoc Senatu *cauſæ Teſtamentariæ, hæreditatum, poſſeſſionum vrbanarum* & *ruſticarum*, *Contractuum*, *debitorum*, *fideiuſſionum* &c. Quæ ſi mille florenorum ſummam excedant, pertinent proprie ad *Senatum*, ut dixi *Maiorem*: ſin autem ſumma trecentis florenis minor ſit, referuntur ad ea quæ nunc ſequuntur *Inferiora Tribunalia*: (die undern Gericht.)

[Der kleine Rath.]

Ex

Ex his *primum* eſt OPPIDANVM quod vocant *Iudicium*, (das Stadtgericht) cui præeſt perpetuus Iudex, aſſidentque *ſeptem* alii è *Ciuibus* prudentioribus *tribuum* ſuarum Scabinis delecti: Hic *de debitis* dictam ſummam non excedentibus *agitur* & *ſubhaſtationes bonorum fiunt*. Das Stadtgericht.

Alterum SEPTEMVIRORVM, ex *tribulibus* quoque *Scabinis* delectorum (die Sibenzüchter appellant.) Hi de *rixis vilioribus ac leuioribus iniuriis verbalibus potiſſimum cognoſcunt*, & *quæ ad munditiem vrbis ſpectant* curæ habent. Die Sibenzüchter oder das Sibnergericht.

Hæc minora Iudicia æque ac Maior & Minor Senatus quotannis mutantur, ea ratione vt pars dimidia maneat & altera nova fiat.

Iuuat & ea quæ ſuperius de *Viginti Tribubus* dicta ſunt paulo fuſius exponere, exinde ſatis conſtabit Rempublicam hanc omnino ſecundum libertatem formatam & non tantum Nobiles & Scabinos, ſed & omnes reliquos Ciues, iis tantum exceptis, qui ingenio & bonis moribus carent, omnium Magiſtratuum & honorum, ſecundum ordinem & gradus capeſſendorum, ius habere & communione Iuris vnius & eiuſdem Ciuitatis inter ſe deuinctos, imo ad ſpeciem quandam æqualitatis redactos eſſe.

Fuerant olim *Ciues Argentinenſes* non-Nobiles *in duodetriginta Tribus diuiſi*, quæ tamen ab

C Anno

Anno 1482. usque ad hanc ætatem in *viginti* duntaxat contractæ reperiuntur. Quarum prima est *Nautarum* (die Zunfft zum Encker / oder der Schiffleuth Zunfft) secunda *Mercatorum* (der Kauffleuth / zum Spiegel) tertia *Lanionum* (der Metzger / zur Blum) quarta *Hospitum* (der Würth / zu den Feyburgern) quinta *Textorum* siue *Fullonum* (der Tucher) sexta *Molitorum, Frumentariorum* & *Tonsorum* (Kornwerffer rc. / zu der Lucern) septima *Salsamentariorum* & *Restionum* (der Saltzmüetter / Grempen und Seiler / zur Mörin) octaua *Aurifabrorum, Pictorum, Impressorum & Compactorum Librorum* (zur Steltz) nona *Pistorum* (der Becken) decima *Pellionum* (der Kürßner) vndecima *Vietorum* & *Situlariorum* (der Kieffer) duodecima *Coriariorum* (der Gerber) decima tertia *Vinariorum* seu *Gustatorum vini* (der Weinsticher) decima quarta *Sartorum* (der Schneider) decima quinta *Fabrorum Ferrariorum* (der Schmid) decima sexta *Sutorum* (der Schuster) decima septima *Piscatorum* (der Fischer) decima octaua *Fabrorum Lignariorum* (der Zimmerleuth) decima nona *Olitorum*, & *Hortulanorum* (der Gartner) vigesima *Cæmentariorum* (der Maurer.)

Hic sciendum, Tribus, *Argentoratensi more loquendi*, appellari die Handwerck / in quas, tàm *omnium Facultatum Doctores* & *Professores* & *alii erudi-*

tione

tione & rerum vsu præstantes Viri, quàm plebei & opifices referuntur, exclusis *Nobilibus* qui separatam *suam Curiam* habent: ita vt vocabulum illud Handwercker siue *Opificia*, opponatur *Nobilibus*, omnesque *Ciues ignobiles* (si modo vllus virtute præditus ignobilis dicendus est) **von den Handwerckern** esse dicantur. Ideoque contradicendum errori IOHANN. BODINI qui in Lib. 6. Cap. 4. audacter asserit: *Argentinenses Legem tulisse, ne quis summos in Ciuitate Magistratus adipisceretur, nisi à cerdonibus, aut coriariis, aut id genus sordidis opificiis, stirpem traxisset.*

Qualibet Tribus habet præter Curatorem seu præsidem delectum ex Magistratu perpetuo, & quatuordecim Scabinos, etiam *Tribunitios Iudices* (Gerichts-Leuth) qui *de rebus ac litibus proprie ad suam Tribum* pertinentibus cognoscunt atque decernunt. Horum Iudicum, ex tribulibus suffragio designatorum, quibus præsidet *Tribunus*, non idem est numerus in qualibet Tribu, neque vno modo eliguntur. constat enim hoc Iudicium in *quibusdam* tribubus Duodecim, in *aliis* pluribus *Assessoribus*. In *aliquibus* tribubus *tota Concio* tribulium: in *aliis Scabini* tantùm: in *aliis Scabini* & *Assessores Tribunitii* simùl ius eligendi habent. In *quibusdam*, horum Iudicum *honor est perpetuus*, in *aliis annuus* & *ambulatorius*.

Iudicium Tribunitium, das Zunfftgericht.

Ex

Brodt. Fleisch. Mühl. Gesaltzen Wahr. Wunden. Hanff. Büchsen. Leder. Schiff. Meisterstuck. Goldschmid. } Schawer.

Ex *tribulibus* (Zünfftige/Zunfft-Brüder) quoque harum viginti Tribuum suffragiis Maioris Senatus leguntur quotannis: *Inspectores panum, Carnium, Molarum*, *Salsamentorum*, *Vulnerum*, *Cannabis*, *Armorum*, *Coriorum*, *Nauium*, *Tyrociniorum* seu *speciminum* & *artificiorum omnis generis opificum*: ut & *ex auro & argento fabrefactorum*, &c.

Schwertag.

Singulis annis *die Martis* qui sequitur dies Comitiales, in pegmate iuxta cathedrale Templum erecto, publicè prælectis per *Syndicum Reipublicæ* literis solemnibus, Consuli *primum* Prætor, Prætori *deinde* Consul & Senatus cum Reipublicæ Consiliariis & Scribis, eidem *denique* Prætori vniuersus populus in area subiecta stans, nudô capite, erectis in cœlum digitis, Iuramentum præstare solet.

Annehmung newer Burger.

Noui ciues non ante in ius Ciuitatis aut ad dicendum sacramentum admittuntur, quam in Senatu de natalibus, de Religione, de populo, de facultatibus, deque omni vita anteacta interrogati, ita ut leges poscunt, respondeant.

DEVS Opt. Max. clementer hanc Rempublicam, dulcissimam nostram Patriam, & hanc ipsam formam, optimo consilio inuentam, in qua, quicquid Democratia vitiosum habet, Aristocratiæ salutari temperamento corrigitur,

Conseruet, Custodiat, Foueat, Tueatur.

A M E N.

1051. 1
2
99 557-1680

1051, 1

Google